

deinde creaverunt. Insulam¹ hanc plenam discordiarum et magne commotionis offendimus, quia iam a primo tercius rex in ea Wilermus regnum in se divisum desolatumque reliquerat, ab eo morte divisus. Pars enim in eodem regno degentium Henrico Romanorum imperatori, imperatoris filio Frederici, quia predicti regis amitam habebat uxorem, iuramento prout fertur astricta, consentit; pars altera Tancredum quendam de sublimibus regni constituit sibi regem. Sed et pagani regionis illius antea subditi cristianis, servilia contra cristianos arma commoverant, quibus ex causis totam occupaverat discordia socialis² et intestina dissensio regionem. Insule quoque Vulcanie, Siculo mari contente, fervere dicuntur internis ignibus et eternis, quas Eolus olim incoluit et earum fumositates perpendere solitus erat, quibus agitarentur à ventis, que res ut rex ventorum appellaretur effecit.

Post Siciliam Creta nobis occurrit, insula centum olim urbibus potens et famosa, que nullum habet quadrupes malum, sed est ab omni genere munda serpentium, nisi quod absentium spalangio vices exequitur, animal modicum, sed et inimicum, et cuius ictum mors rerum ultima comitatur. Avem quoque noctuam non habet hec terra, sed ilico moritur si fuerit huc invecta. Hic Titus natione Grecus, apostoli Pauli discipulus et in baptisinate filius, missus ab eodem ibidem predicare et factus illic episcopus, requiescit in pace. In hac terra serpens antiquus sub imperatore Theodosio minore, Iudeos, dum eos ad terram promissionis perducere sicco vestigio per mare promisit, innumerabiles profundo quasi plumbum immisit, antiquos ultus Egiptios, quos mare submersit dum persequerentur Hebreos. Horum qui periculum evaserunt, Cristi iugum humiliter susceperunt. Alie hoc pelagus distinguunt insule, que circa Delon in girum posite, à ciclon quod est circulus, Cyclades sunt vocate. Ciprum ex istis plus istis videre libuit, quia fecundam agris, iocundam vineis, et fertilitate refertam fama ferebat eam. Habet hec inter alias civitates Pafum olim inclitam, nunc ab antiquo dignitatis culmine nimium inclinatam, et fecundam Amathonta metallis, non tantum spectandam, quantum desideranter et suppliciter expetendam, propter Alexandrini patriarche Iohannis, viri precipue sanctitatis et signis miraculorum insignis, ad vitam geminam geminum et gloriosum in ea natalem. Tandem tricesima quinta die, postquam reliquimus portum Massilie, Sirie desiderate promontoria nostris e longinquo visibus occurrerunt, qua parte possedere maritimam olim pentapolim Filistei, Gazam videlicet et Geht, Azotum, Acharon, Ascalonem. Hec est illa Gaza, de qua Sanson ille

1) Dieser Satz ist SS. XXVI, 218 abgedruckt. 2) 'discensio regionem' a. a. O., wo hier der Auszug aufhört.